



Ung

N-184

Occasionia N-184.  
potissim in carminibus gratul.  
vniuersi  
(Cafariana in alijs peregrata)  
Intra peregrina. ~~184~~ 184a

184a



Q. D. B. V.

In Primo

Seculi currentis

Decennio

# CONDITIO- NEM

Ecclesiae Evangelicae

&

Reipublicae Christianae

in

## GYMASIO ZITTAVIENSI

*d. 12. Martii M DCCXI.*

*hora octava matutina*

nonnulli Adolefcntes

ita recensébunt,

ut nos

introducant

in

Vana hostium molimina,

singularia Dei praefidia,

& nostra pietatis officia.

Huic solennitati

ut intersint

### DNN. PATRONI FAUTORES

& AMICI,

Deiq; praepotentis,

gratiam largitet nobis exhibitum

grato animo spectent,

officiose & humiliter rogat

M. Adam Erdmann MIR US,

Gymn. Con-R.

---

ZITTAVIAE,

Typis Michaëlis Hartmanni.



Nter metum & spem primum currentis seculi decen-  
nium exactum est. Metum incusserunt innumera pe-  
ricula & temporum injuria & hominum improbita-  
te nobis excitata. Spem languentibus excitavit divi-  
na gratia, quam in rebus saepe periculosissimis prae-  
sentissimam patriae cognovimus. Rem ostendunt mi-  
sera Ecclesiae Evangelicae fata. Repetunt afflicta Reipubl. tempora. Accidit  
Ecclesiae Evangelicae circa seculi currentis initium, quod navigantibus  
evenire solet. Ut enim importunum mare ingressi multis exponun-  
tur tempestatibus, multis agitantur procellis: sic ecclesia Evangelica Dei  
varia & persecutionis externae mala, & intestinae discordiae incommo-  
da subire coacta est. Nunquam cessarunt hostes Evangelici nominis,  
cupiditates suas adversus veritatem verbi divini detorquere. Misera vi-  
debatur facies Ecclesiae nostrae in Svevia, cum Bavarus Ulmam, Mem-  
mingam, Ratisbonam, Augustam Vindelicorum aliasq; urbes floren-  
tissimas partim vi aperta, partim insidiis callidis subegisset, hocq; unum  
ageret, ut, proscripta Protestantium religione, Pontificiis tenebris omnia  
loca obtunderentur. Suspirabant in vicina Silesia veritatis Evangelicae  
confessores. Dura perpeffis duriora indices restare fata videbantur, cum  
Romanenses alia atq; alia templa miseris vel clauderent, vel e manibus  
extorquerent. Gemitus agebat in Hungaria Ecclesia, & in tantis, tamq;  
saevius belli tumultibus ne quidem attollere caput audebat. Nec forsitan  
Saxonia patefactae veritatis nomen intactum retinuisset, nisi adversari-  
orum conatibus perversis perversus respondiisset eventus. Malum eccle-  
siae externum acerbius reddidit intestina discordia, turbarum non  
levium infelix magistra. Nondum vel compressi, vel saniores facti  
sunt, qui pietatis studium singulare multis abhinc annis jactitarunt, &  
neglecta verbi divini regula, somnia divina, apparitiones, visiones, re-  
velationes, aliosq; raptus finxerunt. Eo majores turbas in Ecclesia Dei  
& excitarunt hactenus, & in dies singulos excitant; quo plura com-  
menta fanatica sancto pietatis nomine tegere didicerunt. Fertilis seges  
Syncretistarum fuit, qui pacis & concordiae Ecclesiasticae studio nihil dul-  
cius, nihil exoptatius putarunt. Magnum applausum istorum institutum  
in superiore seculo habuit; maximo hoc excipitur, plurimis in intem-  
pestivum concordiae Ecclesiasticae studium intentis. Ab omni pietate  
aversum animum habuerunt Naturalistarum nomine famosi. Tremenda  
fidei mysteria ad dictamen impurae rationis revocare, solennis illis  
consuetudo fuit; nec ullus fidei articulus tam sanctus, quem non mo-  
re Juliani Apostatae variis saggillationibus reddiderint suspectum. Ast sub-  
jecta periculis multis, non oppressa Ecclesia est. Ex conflictu potius,  
quem habuit vehementissimum, illustrior semper rediit. Erigere se li-  
bertas Evangelica & veluti de carcere prodire in Svevia coepit, cum ho-  
stes dolerent, victoriam Hochstadiensem cum omni Svevia ipsis e ma-  
nibus esse creptam. Effecit autoritas Protestantium Principum in co-  
mitiis Ratisbonensibus, ut Evangelici multis in locis vel clauva vel ere-  
pta templa reciperent. Nec rex Svecorum intermisit consulere Evange-  
li-

licis, & opera Comitum Stralencium res eorum afflictas vel sustentare, vel in commodiorem statum redigere. Haeret adhuc Saxonia in veneratione religionis antiquae, nihilq; magis a Deo benignissimo precatur, quam ut opus pietatis augustum in feram derivare posteritatem possit. Nec intestinae discordiae malum tantum fuit, quod evangelicam veritatem vel obscurare, vel deturbare de suo praesidio potuisset. Viudarunt Theologi nostri varii doctrinae solidioris monumentis, veram pietatis gloriam a fucato eius nitore. Docuerunt, normam istius non vel raptus fanaticos, vel somnia divina, vel apparitiones alias esse; sed solum Dei verbum lege & Evangelio inclusum. Ostenderunt quoq; ab hac regula omnem pietatem esse deducendam, omnem in illam resolvendam. Manifestarunt mundo periculosa Ecclesiasticae concordiae consilia. Demonstrarunt ex sacris pandectis, lucem nihil commercii habere cum tenebris; nec Christum cum Beliale posse conjungi. Ob oculos posuerunt singulis, hostem infernalem ita serpere accessibus occultis, & cauta crudelitate decipere, dum blandis verborum lenociniis se insinuat. Nec Naturalistarum furor Ecclesiam aliqua labe aspergere potest. Aluit terra a prima mundi aetate ad haec usq; tempora impios & ab omni religione alienos homines. Progenies Caini mala malis cumulavit, omni pietatis cura proscripita. Regius Propheta dicit suo tempore: Impius in corde suo confitetur, non esse Deum. Quis autem mirabitur, in hac mundi senecta etiam in Ecclesia Christiana multiplicari istorum numerum, qui nec fidem alunt, nec vitam homine Christiano dignam gerunt.

Si a statu Ecclesiae ad Reipubl. Christianae conditionem pergo; Europa cum seculi initio meliora fata speravit, deteriora habuit. In quamcumq; enim mundi plagam convertit oculos, illam saevius belli tumultibus exhaustam animadvertit. Exegit integrum decennium bello Gallico, illudq; cum initio decennii secundi majore vi ac mole reparare videtur, pacis spe omnino exulante. Impleverant circa initium belli Gallicae copiae, quas dicebant Burgundicas, omnem ferme Rheni inferioris tractum, Electore Coloniae non repugnante. Mox tanti mali sensus penetraverat in Italiam, Belgium, Angliam & Hispaniam, ut occidentalis plaga continuo veluti belli incendio conflagrare videretur. Eo quoq; malorum venturum, ut Gallus, duce & antesignano Bavaro, viscera Germaniae petere tentaret, pestem nobis atq; interitum minitatus. Et peregisset facinus impie conceptum, nisi clades a Germanis accepta necessitatem ipsi imposuisset, in Alsaticam copiarum reliquias reducendi. His malis veluti circumvallata & circumclusa Germania, bellum & Hungaricum & Polonicum oculis spectabat attonitis. Sustentabat Gallus rebelles in Hungaria, duce Ragozcy, eosq; Ducibus, armis & nummis juvabat. Gerebatur bellum Polonicum varia fortuna; nec nisi mala infelix Saxonia ex eo ominabatur. Circumventi videbamur maximo periculo, cum Svecorum Rex valido agmine in Saxoniam irrueret, omnemq; ferme terram copiis suis impleret. Propulsavit tamen Deus clementiae suae memor periculum, cum omnium  
ani-

animos maximo horrore completeret; Svecumq; ita reduxit in Poloniam, ut Saxonia gratam tranquillitatem retineret. Varia deinceps fortuna cum Russis conflixit donec ad Pultawarum victus, Benderam salutis asylum quaereret. In tali rerum statu nec Danus dubitavit, bellum inferre Svec, amissa quondam recuperaturus, Multum sanguinis in eo haecenus fufum est, & sua in dies incrementa capere a solet. Nunc in oriente novum videtur bellum surgere, eo periculosius Christianae Reipubl. quo facilius huius turbis universa Germania immisceri potest. Atq; quo graavioribus belli periculis exposita fuit Germania; eo feliciorum armorum successum habuit. Erepta Gallo sunt veluti e faucibus omnia Germaniae loca, quae Burgundicis copiis quondam compleverat. Erepta in Italia duo florentissima regna, Neapolitanum & Sardinicum una cum Ducatu gemino Mediolanensi & Mantuano, Erepta in Hispania Catalonia cum aliis locis. Ereptae pleraeq; Hispanici Belgii provinciae. Nec foederati ejus retinuerunt, ubi ponere pedem possint, Dux Mantuanus, amisso ex Ducatu moerore animi obiit, Bavarus & frater ejus Clemens Troes se quondam fuisse commemorant. Alii aliis fortunae casibus, res suas dilapsas esse cognoverunt. Nullum est dubium, quin Hungaria, reliquis belli exhaustis, proximis diebus pristinam pacem aspiciat, atq; sub mansuetudine victissimi Josephi recreetur. Et fac, in oriente jam surgere fatale malum, multisq; terris meditari tristem ruinam; divina tamen providentia insidias insidiatores facile vertere potest neq; committere, ut expectationi eorum debitus eventus respondeat.

Apparet ex his, quae in primo Seculi decennio fuerint hostium & in choro & foro detestanda molimina; quae Dei benignissimi praesidia; quaeque nostra possint esse officia. Hostes nos circumvenerunt occultis insidiis; circumvenerunt aperta tyrannide. Deus benigne avertit, quae salutis nostrae contraria; largitur, convertit, ipsi quae utilia & salutaria. Hinc nostri officii fuerit, Deo gratias agere pro beneficiis exhibitis; ipsum precari pro exhibendis. Quae adumbravimus breviter; pluribus verbis exponunt, quidam bonae spei Adolescentes, Et ne desit ordinis commoditas; primo loco fata Ecclesiae Evangelicae recensebunt, Deinde ad Reipublicae faciem delineandam descendunt.

Auditorum quidem gratiam provocabunt benignam Dialogo quodam succincto

David Falk & Gottfried Reisch / Z. L.

I. In rebus Ecclesiae delineandis

1. Clandesinas hostium insidias recenset JOHANNES Gottfried Repl / Z. L.
  2. Apertam eorum tyrannidem aperit FRIDERICUS CHRISTOPHORUS Sieger / Z. L.
  3. Aversa a Deo mala offendit JOHANNES FRIDERICUS Ertmüller / Z. L.
  4. Conversa ab eo bona celebrat JOHANNES Siegfried Kamprad / Z. L.
  5. Graduarum actionem urgebit pro exhibitis beneficiis Daniel Scholze / Vrasch, Sil.
  6. Ad preces invitabit pro exhibendis JOHANNES CHRISTIANUS BUTTEL / Z. L.
- Inde praeparabunt Dialogo quodam auditorium ad conditionem Reipublicae declarandam  
CHRISTIANUS Erdmann MIRUS, & ERNESTUS FRIDERICUS Schürer, Z. L.

II. In Reipublicae fatis exponendis

1. Insidias Reipubl. ab hostibus factas producet JOHANNES Friedrich Gottschalk / Budiss, Luf.
  2. Tyrannidem manifestam habebit JOHANNES AMANDUS Schubert / Weigsdorf, Luf.
  3. Mala a Deo aversa sinit Siegfried Seefeld / Gottscheba / Mitinicus.
  4. Bona Reipubl. Conversa adjiciet JOHANNES David Göhle / Z. L.
  5. Ad Gratiarum actionem incitabit Gottfried Heinrich de Lanckisch / Z. L.
  6. Preces pias pro patriae salute adjiciet CHRISTIANUS Gottlieb Prieber / Z. L.
- Gratias honoratissimis Do Auditoribus aliquo persolvent Dialogo.

Friedrich Eckhart Wittgenborj. L. & JOHANNES Gottlob Berger / Z. L.

Ut vero nullo tempore desuerunt, qui benevolo audiendi studio adolescentibus dicentibus stimulum & calcar addiderunt: sic hoc quoque; gratiosam DNN. PATRONORUM & FAUTORUM & AMICORUM praesentiam & benevolum audiendi studium nobis indulgemus. Faxit divina clementia, ut Ecclesia Evangelicae, reniora aspiciat tempora; nec desit Germaniae, quod quietem & tranquillitatem publicam reddere possit. P. P. d. 11. Martii M DCCXI.

Ung. VI 184

NO 18  
NO 18







Schulsohn. Zittau

1711

774

Q. D. B. V.  
In Primo  
Seculi currentis  
Decennio

# CONDITIO- NEM

giae Evangelicae  
&  
blica Christianae

in  
D ZITTAVIENSI

2. Martii M DCCXI.  
ora octava matutina

ulli Adolescentes

ita recensent,  
ut nos  
introducant  
in

hostium molimina,  
regularia Dei praefidia,  
et nostra pietatis officia.

Huic solennitati  
ut intersint

## CRONI FAUTORES

### & AMICI,

eiq; praepotentis,  
largitet nobis exhibitam  
grato animo spectent,  
officiose & humiliter rogat

**Erdmann MIRUS,**  
Gymn. Con-R.

ZITTAVIÆ,

Typis Michaëlis Hartmanni,

